DE

DECORO

IN

VATICINIORVM OBS

COMMENTA

VIRI

CLARISSIMIS DO

GOTTLIEB SC

NECANISIO MISN

PHILOSOPHIAE BAC

NEC NO

IOANNI GOTTLOB

DELITIA

QVVM

SVMM

IN PHILOSOPHI

IN ACADEMIA

A. D. XIII. FEBR. A. C

RITE IMPETR

DICAT

A

CAROLO SAMVE

A. M. ET AD S. PETRI AE

LIPSI

EX OFFICINA LAN

D E

R O D E I

I N

M OBSCVRITATE

E N T A T I O

R I S

S DOCTISSIMIS

SCHLEGELIO

ISIO MISNICO

AE BACCALAVREO

C NON

LOB TROITSCHIO

I T I A N O

QVVM

M M O S

PHIA HONORES

MIA LIPSIENSI

R. A. C. N. MDCCLV.

IPETRARENT

C A T A

A

MVEL KRAVSIO

PETRI AED. CATECHETA

S I A E

LANGENHEMIANA.

VIRIS
CLARISSIMIS DOCTISSIMIS
GOTTLIEB SCHLEGELIO
NEC NON
IOANNI GOTTLOB TROITSCHIO
AMICIS INTEGERRIMIS
S. D. P.
M. CAROLVS SAMVEL KRAVSIVS.

Qui praeclaro huc vsque laudabilique studio animum exquisita cognitione, et doctrina per omnem vitam profutura imbuistis, Amici, merito iam atque inter amicorum congratulationes ad eos honores rite impetrandos adspirastis, qui, quum ingenii eruditione exculti testes inter nos esse solent, haud facile negligi a quopiam contemnique possunt, nisi qui aut praeiudicia alere, aut animi negligentis esse videatur. Ego sane, cui egregias animi dotes cum ingenuo litterarum amore coniunctas inde a multis annis in Vobis contueri ac magnifacere datum fuit, de Vestra vtriusque fortuna iam eo magis habeo, quod laeter, quum de studiis Vestris animique probitate semper bene sperandum esse iudicaui. Lubenter itaque necessitati, quam tum amicitia, tum temporum nostrorum ratio imperat, pareo, animumque Vobis meum publico quodam testimonio testatum facio.

In primis autem gratum Vobis acceptumque fore existimaui, si scribendi argumentum hac occasione seligerem, quod non solum cum eo studiorum genere amico nexu contineretur, cui inter alia adhuc operam Vestram prudenti consilio addixistis; sed tempori etiam quodammodo conuenienter appositum videri posset. Pauca itaque, quae facere possunt ad acuendum sensum in agnoscendo decoro diuino, quod in vaticiniis minus perspicue atque indeterminate expositis inest, eo, quo par est, ordine monere constitui. Nostis enim, Amici, quibus contrariis dissentientium studiis nostra aetate argumenta, quae pro confirmanda doctrinae Christianae veritate proponuntur, exposita esse soleant, quasi vero id ageretur, vt subtiliter et quaestionibus alte repetitis ante disputaremus, quam assensus praebeatur. Non caecam fidem defendimus. Facta adsunt, Deum auctorem arguentia, qui-

 bus

bus legati diuini auctoritatem diuinitus sibi concessam non minus certo confirmant, quam in re ciuili amici regis honorem a principe sibi concreditum legitime tuentur, si datas fidei tesseras iis, quorum nosse interest, conspiciendas proponunt. Adest doctrina sancta Deoque digna, quae si cum factis conferatur, habet sane animus idoneas credendi rationes, et cuiuis homini facile assequendas, ob quas assentiatur. Est autem in cognoscenda religionis veritate cum veritatibus e naturae contemplatione intelligendis quaedam analogia. Vtrinque enim offerri videmus, quantum pro fundamento sufficit, vt cognitio satis euidens et certa in animo existat. Difficultates vtrinque remanent, quae, quomodo cum certo cognitis accurate conciliari debeant, non statim intelliguntur. Continuato tamen studio et adhibita animi attentione magis illae euanescunt, quaeque primo loco minus conuenire videbantur, mirifice Deum decere intelliguntur, et ad vim maiorem cognitae veritati conciliandam apprime faciunt. Iam vero in indaganda rerum naturalium veritate non facile quisquam adeo iniquus est, quin prima certae cognitionis fundamenta teneat, et studio demum modestiaque vlteriores progressus facere, atque difficultates sibi obuias assiduitate euincere conetur. At in iudicanda religionis veritate mirum, quantum ab eiusmodi aequitate dissentientes discedant. Oculis vniuersum regiminis diuini ambitum contueri, non ob alias idoneas credendi rationes assentiri volunt. Turbant et miscent omnia. Quid enim est, quod satis perspicua, et per se fidem habentia, suspecta reddere moliuntur, si quaedam alia nondum cognita sunt? Fieri autem hoc in primis solet, quando de scripturae vaticiniis quaestio est. Quare operae pretium me facturum esse existimaui, si huic argumento paulisper inhaererem, vaticiniorumque dignitatem tueri aggrederer, Vobis autem ad animum reuocarem, quae ea de re multo copiosius luculentiusque alio loco iam edocti estis.

Ita vero collectam frugiferae doctrinae copiam, honoresque, quos praeclara ingenii indoles, studiique sollertia iam dudum promerita est, ex animo Vobis gratulor, Deumque precor, vt labores Vestros adhuc bene actos in posterum ita fortunet, vt facta iam eximia honoris initia nouis subinde accessionibus augeatis, et de ecclesia Christi, cui fidem Vestram studiaque consecrastis, bene aliquando mereamini. Mei vero memoriam vt amicam Vobis gratamque conseruetis, non tam rogare, quam singularis Vester in me amor certo sperare iubet. Scrib. Lips. a. d. XIII. Febr. A. C. N. M DCC LV.

ORDO

ORDO COMMENTATIONIS

Explicatio instituti §. I-III. *Dignitas quaestionis* §. IIII - VI; *Eiusdem solutio* §. VII - XXV; *Digressio sistens* *κακοζηλίαν daemonum in imitandis Dei viis* §. XXVI - XXXI; *Corollaria*, §. XXXII - XXXIIII.

---

§. I.

Vaticinium communi loquendi vsu ab ea rerum futurarum praedictione discerni solet, cui euentus fortuito respondet. *Definitio vaticinii.* Mirae enim varietatis exempla dari certum est, vbi casus imitatur consilium, atque ea, quae hominum audacia et coniectandi temeritate fore praedicuntur, vere eueniunt. Deinde vaticinium ab eo distinguitur, quod sensu obscuro subtilique percipi potest, et futurum esse praesignificatur. Constat enim, variis animalium generibus adeo subtiles sentiendi leges a natura inditas esse, ut parua adhuc tempestatum initia, earumque vicissitudines percipiant, et consecuturas mutationes praesignificare videantur. Obscurus talium rerum sensus etiam inter homines interdum datur. Quamquam autem hoc loco vaticinationis aut diuinationis nomen a quibusdam adhiberi solet: patet tamen, aliam hanc vocis esse significationem, ideoque cauendum esse, ne cum eo, quod alibi vaticinium dicitur, male confundatur. Tandem, quae ratiocinando colligi ac praedici possunt, vaticiniis non accensentur. Multa enim euenta e statis naturae legibus tanquam e caussis determinantibus necessario extitura cognoscuntur; multa e cognita rerum naturalium indole, aut e nexu hominum inter se, animorumque natura et adsuefactione modo probabili praeuidentur. Sunt itaque *vaticinia* eae rerum futurarum significationes, quae nec sentiri, aut praeuideri ratiocinando, nec fortuito veritati conuenienter euenire, existimari possunt. Fieri autem potest, vt futurum quidpiam partim rerum certarum indole praefiguretur, partim per notiones quasdam et verba tantum indicetur. Inde duplicis generis vaticinia existunt, *Dantur va[ti]cinia dupli[cis] generis.* quorum alia, vaticinia realia, quae et typi alias vocantur; alia verbalia appellari possunt.

possunt. Ne limites scriptioni huic praefigendos transgrediamur, ad vaticinia verbalia siue stricte dicta, animum iam attendimus, licet, quaedam ex iis, quae dicentur, ad realia vaticinia applicari queant.

§. II.

Obscuritatis definitio.

Obscuritas claritati atque euidentiae opposita, ea est cognitionis adfectio, qua fit, vt notiones ab eo accurate satis distingui nequeant, quod per eas non significatur. Si difficultatis huius causa in ipsa notionum indole posita est, obiectiua obscuritas; sin in animo intelligentis, subiectiua dicitur. De obiectiua nobis hoc loco sermo est. Deinde vero obscuritas plenitudini cognitionis opponitur, et incompletam rei cuiusdam cognitionem notat, vnde *obscuritas rei* dici potest. Otiosae accurationis haec esse indicia, haud existimare fas est, quum, vt alia taceam, in interpretatione et diiudicandis vaticiniis multum exinde pendet, vt vtrumque obscuritatis genus, quod tum in notionibus tum in rebus indeterminate expressis inest, bene attendatur. Vtrumque etiam in vaticiniis occurrit, et in iis defendendis perpendendum est. Nam multa rerum futurarum euenta vel eiusmodi dictione praedicuntur, cuius sensus, remotis omnibus contrariis explicandi modis, nondum certo definiri potest; vel indeterminate, attamen eiusmodi criteriis praenotantur, quae ad comprobandum sufficiunt, praedictionem non ex coniectandi licentia ortam esse, aut fortuito impleri. Est itaque *obscuritas vaticiniorum* ea praedictionum conditio, qua indeterminate vel aenigmatice conceptae sunt, ideoque eatenus vel nondum distincte explicari possunt, vel his circumstantiis varias explicationes aeque admittunt, quarum quae vera sit, definiri nondum potest. Ceterum monere ne opus quidem duco, diversos dari posse obscuritatis gradus, aliaque vaticinia aliis ad claritatem propius accedere; et vbi quaedam obscura manent, certoque definiri nequeunt, ideo non omnia intelligentiae humanae esse imperuia, aut vsu carere.

Obscuritas vaticiniorum quatenus concedatur.

§. III.

Definitio decori diuini.

Decere aliquem dicimus, quicquid cum requisitis eius perfectionibus conuenit. Ergo Deum decet, quicquid cum perfectionibus diuinis conuenit. *Decorum* autem *Dei* est agendi modus, qui ad declarandas Dei perfectiones idoneus est. Nimirum fieri hoc solet, si ea, quae Deus decore agere dicitur, ita comparata sunt, vt vel summas Dei perfectiones, quas ipsi competere ratione iam edocti nouimus, significent; vel tanquam effectus considerari possint, qui ab ente perfectissimo proficisci queant; vel saltem non indecora sint, id est, cum Dei perfectionibus nullo modo pugnare intelligantur. Quum, quae de notionis huius realitate et cum vsu loquendi tum communi, tum scripturae sacrae, conuenientia dici debent, * a viro docto iam multo luculentius exposita sint; dicta suffi-

* Nempe in VIRI SVMME REVERENDI D. CHRIST. AVG. CRVSII, praeceptoris ac patroni mei, quem seruet Deus, tractatu *de decoro diuino*, qui tum *opusculis* EIVS *philosophico-theol.* insertus, tum an. 1752. in linguam vernaculam a PL. REV.

ſufficiant. Lubet itaque decorum Dei in vaticiniorum obſcuritate agnoſcendum breui commentatione illuſtrare, atque planum facere, ea ſcripturae ſacrae vaticinia, quae minus perſpicua et determinata ſunt, nihil continere, quod cum diuinae reuelationis auctoritate conciliari nequeat, ſed ita potius eſſe comparata, vt Deum auctorem ſapientiſſimum vel aperte arguant, vel ſaltem confirment, ad agnoſcenda glorioſa Dei attributa manu quaſi ducant, et cum ea regiminis diuini in mundo ratione, quae e naturae contemplatione patet, amice conueniant. *Ratio inſtituti.*

§. IIII.

Equidem aduerſariorum iniquitatem cum dolore perpendo, qui, quum in alio doctrinarum genere ſubinde excellunt, ingeniique haud vulgare acumen produnt, ſibi tamen ipſi magnopere diſſimiles ſunt, quando de diiudicandis argumentis, quibus doctrinae Chriſtianae veritas confirmari ſolet, et praeſertim de vaticiniis quaeſtio agitatur. *Neceſſitas defendendi vaticinia* Quoniam enim negari non poteſt, in quibusdam ſcripturae vaticiniis obiectiuam obſcuritatem dari, licet aliqui, re conceſſa, termino vti nolint; et Petrus, Apoſtolus, teſtatur, eſſe δυσνόητα quaedam in iis, quae de aduentu Chriſti a Paulo praedicta fuerant 2 *Petr.* 3. 16: iure ſuo, qui de religione Chriſtiana male ſentiunt, reiicere poſſe ſibi videntur, quicquid argumentationis e vaticiniorum indole ad vindicandam doctrinae Chriſtianae veritatem ducitur. Ecquid enim probationis, inquiunt, * ex eiusmodi myſteriis, quae Chriſtianis ipſis confitentibus, obſcura ſunt, deſumeretur. Religio reuelata veritate pariter ac diuinitate ſua adeo ſe commendat, vt argumentis eiusmodi ambiguis ne confirmari quidem opus habeat. At aliquid monſtri alunt, qui ita ſentiunt. Argumenta a poſteriori, quibus doctrinae reuelatae veritas facillime, et ad rudiorum etiam captum accommodate, vindicatur, ſuſpecta reddere et labefactare inſidioſe tentant. Quare ſollicite iis occurrendum eſt.

§. V.

Ac primo quidem manifeſtum eſt, eos, qui argumentum a vaticiniis deſumtum admittere nolunt, per fallaciam compoſitionis ſtudio miſcere, quae ſeparanda *Obiectionibus diſſentientium occurri poteſt partim limitando*

REV. M. GEORG. DAN. PEZOLDO translatus, et inſcriptus eſt: Von dem, was Gott geziemet oder anſtändig iſt. Qui VIRI SVM. REV. libris mecum diligenter vtuntur, facile animaduertunt, cui loco multa eorum, quae iam repetuntur a me, debeantur. Id tamen, quod caput rei conſtituit, allegari fas eſt. Iuuabit autem conferre tract. *de decoro diuino* § 61; EI. *Metaphyſ.* §. 271, 272; *it.* EI. *Diſſert. duas de diſſimilitudine inter religionem et ſuperſtitionem* §. 23. ſeq. et 119. ſeq. Germanice eaedem a IO. FR. HVBSCHMANNO redditae, et in forma 8ua mai. an. 1754. editae ſunt ſub inſcriptione: Die wahre Geſtalt der Religion, wiefern ſie dem Aberglauben entgegen geſetzt iſt.

* conf. B. OPORINI liber ad vindicandam vaticiniorum auctoritatem contra quaedam recentiorum interpretamenta apprime vtilis: Kette der Meſſianiſchen Weiſſagungen. In praefatione adiecta refutantur eorum errores, qui noſtra aetate vaticiniorum dignitatem vniuerſim oppugnarunt. Indicatur tum auctor anonymus famoſi tractatus: *Religion a l'homme eſſentiel;* tum quidam alius, qui animos ab agnoſcenda diuina religionis obligatione, virulenta ſcriptorum elegantia auocando, iis ipſis, vti exempla docent, multum prodeſt, a quibus aliquando patria eiectus eſt.

paranda sunt, et perspicuas euentuque comprobatas, et ad capiendam inde probationem idoneas praedictiones cum iis vno eodemque loco habere, quae forte ob alium finem minus perspicue conceptae esse, existimari debuerant. Dummodo attento veritatisque patiente animo, antequam de obscuritate conquererentur, libros sacros introspicerent; facili sane negotio per principii petitionem ad assertum Apostoli, 2. *Petr.* I. 19, de verbi prophetici perspicuitate non prouocari animaduerterent. De Christi eiusque Apostolorum vaticiniis exempla non excitabo. Non puto, aduersariorum quempiam fugere posse, quanta cum euidentia prophetae tum fata populi Israelitici, Ephraimitarum et Iudaeorum, tum magnas regnorum in oriente conuersiones, connotato interdum tempore, praedixerint, ita, vt multa eorum, legatis Dei adhuc superstitibus, vere euenerint. Mira profecto est hac in re Porphyrii, empaectae, audacia, qui, quum non haberet, quod perspicuo Danielis de persecutione Epiphanica vaticinio opponeret, in alia omnia discessit, et contra omnem fidem historicam et testimonium inprimis Iosephi, qui Danielis vaticinia de Hierosolymae euersione allegare solet, commentus * est, supposita, et a deceptore aliquo Antiochi demum tempore historice conscripta esse, quae Daniel propheta praesignificasse diceretur. Consequitur vero exinde, ipsos religionis obtrectatores vaticiniorum perspicuitatem negare haud potuisse, et indignum esse aduersariorum praetextum, quando scripturae vaticinia idonea esse non putant, e quibus argumentum pro confirmanda religione peti possit.

§. VI.

partim dubia soluendo.

Deinde vero explicandum est, non esse dissentientibus, cur vaticinia prophetarum, quae minus perspicua sunt, diuina reuelatione indigna esse existiment, aut eodem loco cum ambiguis gentilium oraculis habeant. Tunc enim quicquid de obscuris vaticiniorum mysteriis obloquuntur, vanum esse, fundamentoque destitui, prudentes intelligunt. Quae quum animo perpendo, nimiam eorum facilitatem miror, qui, quasi diffidentes bonae causae, argumenta a posteriori seponunt, quando ab aduersariis tanquam infirma minusque idonea exagitantur, viamque a priori moliuntur, qua veritatis honor contra quasuis obtrectatorum religionis obiectiones in tuto collocetur. At festinanter nimis atque incaute agere videntur, qui tali modo bonam causam defendere suscipiunt. De eo quidem nulla est dubitatio, e praesenti generis humani conditione cum Dei attributis collata, ad reuelationis diuinae existentiam recte concludi posse, atque obligationem intelligi, qua tenemur, de ea inuenienda solliciti esse; et praeterea, e fundamentis necessitatis definiri posse criteria diuinae reuelationis, quibus ad doctrinam Christianorum applicatis, veritas eius a priori suaui quadam euidentia pateat. Sed via haec, etsi suo loco admodum vtilis et iucunda sit, et recte teneatur, nimis

tamen

* Vid. VIRI PL. REV. M. FR. CHR. KOCHII Stärcke und Schwäche derer Feinde der göttlichen Offenbarung, p. 213, et 462. Testem allegat Hieronymum in praef. ad Dan.

tamen longa multisque difficultatibus impedita est, quando cum aduersariis controuersia agitatur. Adhaec autem eandem aliqui adeo infeliciter ingrediuntur, vt religionis veritatem non defendere, sed intempestiuo conamine dissentientium ludibrio exponere videantur. Quid enim, si *accuratio theologica* summum reuelatae religionis criterium constituitur? Quare ne concedi quidem debebat licentia, quam in reiiciendis argumentis aliisque expetendis dissentientes sibi sumunt, sed pondus dignitasque argumentorum a posteriori, quibus religio bene confirmatur, contra male sentientium opiniones cum cura vindicari debebat. Non enim ea minorem certitudinem in animo habent, quae vera esse a posteriori cognoscuntur, quam quorum veritas a priori intelligitur, dummodo cognitionis certitudo cum eiusdem plenitudine ne confundatur. Accedit, quod argumenta pro religione e factis ducta non solum id habent vtilitatis, vt omnium intelligentiae multo facilius pateant, quam quae a priori deducuntur, sed et ad obiectiones declinandas litesque componendas via ducunt breuissima. Operae itaque pretium erit, contrariis dissentientium studiis obuiam ire, et dubiorum, quibus diuinam vaticiniorum auctoritatem oppugnant, iniquitatem ostendere.

§. VII.

Modus cognoscendi decorum Dei in vaticiniis minus perspicuis.

Quum id Deo decorum esse dicitur, quod ad declarandas eius perfectiones idoneum est: e rei natura statim intelligitur ad vindicandum decorum Dei in vaticiniorum obscuritate, opus esse, vt primo infinitas Dei perfectiones, quae tum ex attenta mundi contemplatione, tum ex reuelatione iam aliunde certa cognosci intelligique possunt, et modum agendi, quo Deus alibi vtitur, animo viuide complectamur; deinde vero ad vaticinia ipsa, praesertim ad eorum *originem*, *naturam* atque indolem, et *scopum* denique diligenter attendamus. Ita enim fit, vt rationes facillime detegantur, e quibus infinita Dei sapientia, benignitas, sanctitas et sic porro intelligitur, quarum perfectionum quaeuis in vaticiniis minus perspicue determinateque propositis luculenter manifestata est.

§. VIII.

Diuina vaticiniorum minus euidentium origo idoneis argumentis agnoscitur.

Tenebimus itaque hanc viam, quaeque ad agnoscendum hoc loco decorum Dei faciunt, quibusdam propositionibus declarabimus. Si ad *originem* vaticiniorum, quae minus euidentia esse deprehenduntur, attendimus, quae sequuntur, magnum profecto momentum habent. I) *Vaticinia prophetarum minus perspicua atque indeterminata non ab exaestuante hominum imaginatione profecta, sed originis vere diuinae esse, ex arctissimo vinculo intelligitur, quo cum doctrina Deo digna factisque Deum auctorem arguentibus, et inter haec speciatim quoque cum vaticiniis aliis perspicuis et determinate impletis, continentur.* Quod vbi conceditur, quemadmodum id concedendum esse, statim vlterius explanabo; est sane, cur singulare hac in re decorum Dei mireris. Confirmatur enim, Deum non caeca hominum fide, id est, quae nullis idoneis credendi rationibus nitatur, delectari, sed esse ipsum veritatis amantem, et sufficientia largiri media, quarum ope, quae pro diuinis haberi debent, tanquam diuina agnosci queant.

§. VIIII.

Probatur e nexu cum doctrina Deo decora et factis Deum auctorem arguentibus.

Longum est, quae ad propositionis probationem dici possunt, copiose exponere. Pauca saltem dirigendae attentionis causa attigisse sufficiat. Vaticinia, de quibus sermo nobis est, euidenti nexu cum doctrina copulantur, qua non ea solum, quae recta ratio docet, repetuntur, magisque perspicue exponuntur, sed illae etiam quaestiones, tum historicae tum dogmaticae, quas scire rationis magnopere interest, soluuntur. Ii ipsi vero, qui eiusmodi doctrinam cum insito aeternitatis desiderio insuper apte conuenientem, professi sunt, adeo amabilem animi characterem prae se ferunt, vt eadem aequitate, qua ingenuum hominis vultum morumque modestiam magnifacere soles, etiam de iis honorifice sentire, omnemque fraudis suspicionem ab iis remouere tenearis. Accedit, quod prophetae manifestis diuinae legationis sigillis auctoritatem sibi concessam hominibus comprobarunt, dum non solum signis et miraculis Deum decentibus, quaeque in sphaera rerum cognita accidebant, et agnosci iudicarique poterant, sed euidentibus etiam vaticiniis, aut rerum absentium et absconditarum indiciis, quibus omnis deceptae imaginationis suspicio excluditur, se legatos vere diuinos esse, vberrime testati sunt.

§. X.

Prophetarum auctoritas num minuatur, ob praedictas prima specie minutias.

Qui alienum a religione animum habent, hoc loco reperisse sibi videntur, quo decoram prophetarum diuinorum auctoritatem criminari possint. Prouocant enim ad ea rerum occultarum indicia, a prophetis interdum facta, quae prima specie leue ac negligendum fere momentum habere videntur. At non perpendunt, apud Deum nulla ratione vile abiectumque id existimari posse, quod aut ad excitandas solandasque piorum mentes et commonefaciendos improbos, aut ad fidem iis faciendam facere potest, quibus oracula Dei hominibus proponenda committebantur. Intelligitur autem adhaec, rerum occultarum aut absentium significationem, quam qui proferebat, naturaliter e sensu aut ratiocinatione aut historice nosse non poterat, medium admodum conueniens esse, ad stabiliendam prophetarum auctoritatem. Fit enim eiusmodi significatio per miraculum in animo prophetae, et commodum illud quidem, propterea quod eo rerum naturalium ordo et dispositio non magis, quam liberis hominum actionibus, interrumpi turbarique potest. Quare si mente simul complectaris, quae de nexu vaticiniorum indeterminate conceptorum cum doctrinae sanctitate factisque vere diuinis, et vaticiniis euidentibus et indubitatis, dici possunt, quidni diuinam eorum originem immota certitudine agnoscas, et iusta cum indignatione dissentientium obiectiones ad animum reuoces, quibus id agunt, vt vaticiniis scripturae parem, ac gentilium oraculis, dignitatem, id est, nullam prorsus concedant?

§. XI.

Illustratio insigni Iesaiae exemplo.

Ad ea, quae hactenus dicta sunt, magis illustranda illustre aliquod exemplum apponere liceat, quod liber prophetiarum a Iesaia conscriptus suppeditat. Attenta ipsius libri consideratio statim confirmat, dispesci eum in partes duas, quarum altera vaticinia tum de Messia eiusque regno, tum de temporum illorum

statu

ſtatu, regnorumque finitimorum mutationibus continet; altera vero, interpoſita antea hiſtoria, de regno Meſſiae glorioſe manifeſtando, et ad aeternitatem vſque porrigendo, vnice agit. Ad haec, connotata in vaticiniorum ſerie temporum ſigna indicant, ea ordine chronologico eſſe diſpoſita. Conſequitur exinde alteram libri Ieſaiani partem, ſublimem illam, et euentu rerum demum magis illuſtrandam, poſtremo loco fuiſſe conſcriptam. In numerum itaque collectis regum, qui in limine prophetiarum notantur, annis, adiectisque iis, qui ante vocationem Ieſaiae ad dignitatem propheticam effluxerunt, quorum exiguus numerus ſane non ſumendus eſt: efficitur, Ieſaiae, ſeni circiter * octagenario, auguſtam de remotiſſimis temporibus reuelationem diuinitus obtigiſſe. Haec eo conſilio dicta ſunt, vt ſingulare aliquod decorum Dei in patefaciendis ſummis regiminis ſui arcanis intelligatur. Ita enim, quotquot etiam obſcura in poſteriori parte libri Ieſaiae vel reperias vel ponas, non erat, cur de diuina vaticiniorum origine et extituro aliquando rerum grauiſſimarum implemento, vllo modo dubitaretur, quarum reuelatio prophetae facta fuerat, qui et vitae ſanctitate morumque innocentia populo per dimidium ſaeculum innotuerat, et qui rerum geſtarum indole, perſpicuisque et euentu ita comprobatis vaticiniis, vt ipſam, ſuperſtes adhuc, rerum de Aſſyriis praedictarum hiſtoriam adiicere poſſet, diuinam legationem contra omnes aduerſariorum criminationes tueri potuerat. Qui attenta litterarum ſacrarum meditatione delectatur, in aliis etiam prophetarum libris ſingularem cum propoſito Ieſaiae exemplo analogiam facile animaduertit.

§. XII.

Vaticiniis minus euidentibus cautum eſt vt veracitas Dei ſalua ſit, et libertas hominum ne limitetur.

Caput argumenti, quod tractandum ſumſimus, in eo poſitum eſt, vt ex ipſa vaticiniorum *natura* atque indole iudicium de decoro Dei inde agnoſcendo feratur. Notamus itaque vlterius, II) *In rebus libertati humanae ſubiectis minus perſpicua et indeterminata earum praedictione ſapienter cautum eſt, vt et veracitati diuinae ſuus honos ſtare poſſit, et libertas hominum, qui norant praedictionem, limitari haud neceſſe habeat.* Quidni autem ille agendi modus Deo decorus exiſtimetur. qui, ſi inſigne aliquod euentum ob aliquem ſcopum praeſignificari debuit, vnicus interdum eſſe poteſt, quomodo hominibus quandam futurorum contingentium, id eſt, quae poſito hoc mundo vere aliter, ac eueniunt, euenire poterant, notitiam concedere poſſit? Quod, vt magis perſpicue intelligatur, vlterius explanandum eſt.

* Vid. B. BENGELII *ord. temporum* p. 123. ſeq. A morte Vſiae ad annum decimum quintum Hiskiae ſunt anni 45. Ordinarie aetate quodammodo prouecti ad prophetae dignitatem a Deo vocati ſunt. Ieremiae exemplum exceptionem tantum a regula eſſe, exinde iudicatur, quia aetas eius diſerte memoratur. Ergo Ieſaias vltra triginta annos ante compleuiſſe ſtatuendus eſt, quam ad prophetae munus peruenit.

§. XIII.

Vlterior propositionis explanatio.

Futura contingentia, quae aliter cadere possunt, ac praedicuntur, aut Deus prorsus non praesignificat, aut ea si reuelare vult, fieri hoc ponendum est, vel perspicue et determinate, vel minus perspicue et indeterminate. Videamus, quid sequatur, si Deus futura contingentia perspicue determinateque patefacere ponitur. Libertatem eam esse facultatem, qua fieri debet, vt homo moralis actionum suarum imputationis capax sit, quisque facile confitetur. Imputatio autem sensu strictiori sumta locum habere non potest, nisi facultati, quae agit, positis iisdem circumstantiis, actionem omittere aut eius loco aliam suscipere, realiter possibile esse ponitur. In bruta non cadit imputatio moralis. Est igitur libertas voluntatis humanae ea hominis facultas, qua integrum ipsi est, ita se ad agendum determinare, vt positis iisdem circumstantiis agere et non agere aut aliud quidpiam agere possit. Fieri itaque posse intelligitur, vt, posita libertate, et praedictione satis euidenti ac determinata, homo aliter, ac praedictum est, agere, eaque ratione vaticinium eludere possit, quemadmodum id nota illa profani cuiusdam cauillatione apud Lucianum commode illustratur. Is enim quaesiisse ex Ioue fingitur, qualem putaret pedem primo loco se porta elaturum esse, vt, dicto altero, ludibrio haberet Iouem, et efferret alterum. Manifestum itaque hoc est, si praedictioni admodum determinate ac plene conceptae euentus respondere debet; aut limitandam interdum esse hominum libertatem, quo facto, Deus ipse auctor actionis existeret, quam fore praedixerat; aut fieri posse, vt res aliter eueniat, ac euenturam eam esse significatum fuerat, quo posito, Deus rerum futurarum significatione falli posse concederetur, quod affirmare impium est. Nihil ergo amplius relinquitur, quam vt Deus vel nihil rerum futurarum, quas aliter cadere posse praeuidet, hominibus patefaciat; vel, quoniam liberum ipsi est, si quam iis futurorum contingentium cognitionem concedere vult, praedictiones ita informet, vt tecte et indeterminate homines, qui attendere volunt, instruant, iis autem merito incognitae maneant, quos alioquin in partes contrarias abituros esse praeuidet. Atque id ipsum est, in quo singulare Dei decorum digne admirandum animo sisti, supra monebamus.

§. XIIII.

Conuenientia cum alias consueto iudicandi modo.

Haec vero iudicandi ratio, quam huc vsque secuti sumus, hominibus adeo naturalis esse videtur, vt id, quod nimis aperte, ac veluti historice expositum est, attamen pro vaticinio venditatur, statim suspectae fidei esse, merito existiment. Sic carmina Sibyllina, vt alias rationes praeteream, supposititia et post Christi nati tempora, per piam, quod aiunt, fraudem esse compilata, exinde statim intelligitur, quod adeo perspicue de rebus exponunt, vt ab historica narratione interdum dignosci vix queant.

§. XV.

Cautiones quaedam.

Attamen, vbi allegata ratio locum non habet, quae in eo posita erat, quod praeuidebat Deus fore, vt homines libertatis facultate vterentur, ad contrarium praedicti faciendum, si rerum euenta nimis determinate praenotaret; per se patet,

tet, vaticinia, ceteris paribus, maiorem perſpicuitatis gradum habere poſſe. Quare futura quaedam contingentia interdum ſatis euidenter ſignificata ſunt, vbi Deus reſpondentem libertatis vſum praeuidit; aut ita rem dirigere conſtituit, vt ante euentum accedentem praedictio in eorum notitiam, qui contra agere poterant, ne perueniret. Ita clariora ſubinde vaticinia ſunt, quae de gentibus exteris apud prophetas agunt, quam quae fata Iſraeliticae gentis complectuntur.

§. XVI.

Diſſentientium refutatio, ac ſi Deus futura contingentia praedicere nequeat.

Sentiunt alii hoc loco colliſionem, quae tum inter Dei veracitatem, tum inter actionum liberarum praeſignificationem exiſtere poteſt. At, quum iudicare deberent, Deum vel plane non, vel ſaltem non determinate praedicere id poſſe, vbi contra acturos homines eſſe praeuidet, ſi determinate praediceretur: eo temeritatis potius delabuntur, vt Deum futura contingentia ſcire negent, quemadmodum nuper *aliquis* errorem hunc denuo ornare voluit, ideoque nihil ab eo ſignificari poſſe arbitrentur, niſi quod e cauſis determinantibus ineuitabili neceſſitate conſequatur. Sed tum ſcripturae teſtimonia aliud quippiam docent, tum rationes, e quibus ſcientia Dei media a priori intelligitur, aliud euincunt, vt de abſurdis, quae e contraria ſententia prono alueo fluunt, ne dicam quidem. Deum animi cogitata, antequam adſunt, noſſe, confitetur Dauid, modumque diuinae praeſcientiae ſe non capere ait *Pſ.* 139, 2 coll. 17. At mentis cogitationes actionibus contingentibus accenſendae ſunt, quia intellectus vſus arbitrio voluntatis ſubiectus eſt. Adde *Ieſ.* 41, 21-23. 1 *Sam.* 23, 11. *Matth.* 11, 21. Deinde vero quicquid perfectionis, ſaluo repugnantiae principio, ſimul poni poteſt, Deo, quippe enti perfectiſſimo, competere iudicandum eſt. Noſſe autem futura contingentia, non repugnat, licet modum hominis ingenium haud capiat, quo Deus ea praeuidet. Illi vero bonae cauſae mali admodum patroni eſſe videntur, qui futura contingentia ſciri quidem a Deo, attamen non niſi e cauſis determinantibus ea intelligi poſſe contendunt. Hoc enim, dummodo ne verbis ludatur, tam apertam contradictionem habet, vt vel monuiſſe illud ſuperuacaneum ſit.

§. XVII.

Vaticinia minus aperta cum ſyſtemate moralitatis et via cognoſcendae veritatis per naturam conueniunt.

Porro autem bene tenendum eſt: III) *Vaticinia minus aperte et diſtincte enunciata, tum cum ſyſtemate moralitatis inter homines obtinente, tum cum ea veritatem manifeſtandi via, quam Deus in regno naturae tenere intelligitur, ſingularem harmoniam habent.* Iisdem itaque rationibus, quibus adducti ſummum Dei decorum in ordinando moralitatis ſyſtemate, aut in manifeſtanda hominibus veritate per naturam, agnoſcimus, tenemur etiam idem illud in reuelandis regiminis diuini arcanis agnoſcere et venerari.

§. XVIII.

Definitio ſyſtematis moralitatis.

Syſtema autem moralitatis dicitur ea regiminis diuini forma, ſecundum quam ſcopus Dei in mundo conſtitutus eſt, vt ſpiritus ratione vtentes ipſum libere eligant, et in tenendo virtutis ſtudio incrementa continuo maiora capiant, fata autem aliquando experiantur, quae cum actionum ſuarum indole conueniant. In mentis humanae natura autem haec fundamenta poſita eſſe intelliguntur, qui-

 bus

bus fieri possit, vt eiusmodi systema inter homines obtineat. Insunt in nobis cogitandi facultates, quibus ad verum et falsum, honestum et turpe, iustum et iniustum inter se dignoscendum idonei reddimur, quaeque simul sumtae ratio humana vocari solent. Accedunt deinde voluntatis humanae tum appetitus insiti, tum libertas, qua fit, vt ad hunc vel illum appetitum sequendum determinare nos, variaque actionum systemata condere possimus, prouti alii aliique mentis appetitui imperium in reliquos permittimus. Ita enim cernimus, esse homines, qui aut vtilitatis, aut voluptatis, aut sciendi desiderio omnia metiuntur, eidemque reliquos appetitus subordinare student. Systema itaque moralitatis exigit, vt inter plura obiecta appetitibus nostris proposita libere decernamus, conscientiae instinctum sequi, ideoque Deum et bonum morale, eligamus, omnia mentis desideria conscientiae dictamini subiiciamus, et hanc mentis conformationem tueri, augere et roborare studeamus. Rationes, quae ad defendendum hunc Dei cum hominibus scopum faciunt, et a priori e sanctitate diuina petuntur, ad hunc locum non pertinent. Operae tamen pretium est, vt ad rerum in natura ordinem, qui cum moralitatis systemate conuenit, attendatur. Ita enim diuinae reuelationis cum vtroque harmonia recte intelligitur.

§. XVIIII.

Via cognoscendae veritatis per naturam cum systemate moralitatis conuenit.

Si quando machinae artificialis scopus detegendus est, varias formare solemus hypotheses, eaque tanquam vera recte sumitur, qua posita, ratio de vniuersa machinae constructione reddi potest. Esto itaque hypothesis, velle Deum, vt libera electione nosmetipsi status nostri auctores simus, eundemque ad perfectionis normam attemperemus; et manifestum est, eodem illo modo, quo alibi rei scopum inuestigamus, hypotheseos nostrae veritatem intelligi posse. Multa enim diserte solui possunt. Pauca saltem scopo, qui ponitur, non repugnant. Amplissimus veritatis cognoscendae campus in maxima rerum varietate, qua mundum exornatum esse cernimus, animo sistitur. Intelligendi vires admodum egregiae homini concessae sunt. At nisi in summa rerum ignoratione versari, aut saepe impingere velit, opus est, vt inditas ingenii vires indefesso studio excitet, perficiat, et ad veritatum nobilissimarum cognitionem crebra exercitatione habiles reddat. Id vero est, quod ponebatur. Varii generis dona ad vitam bene suauiterque transigendam nobis natura offert. Pauca tantum perficit. Plurima homini vsibus suis studiose adaptanda relinquit. Pone, Deum liberum hominis studium velle, et illa conueniunt. Occurrunt offendicula, quibus a veri tramite bonique studio detinearis. Sume, tuendam esse virtutis electionem et magis perficiendam, et nihil dubitationis relinquitur. Ita vero in vniuersa rerum natura iucunda quaedam cum moralitatis systemate conuenientia facile animaduertitur, qua fit, vt illud ipsum a posteriori probetur. Contraria vero ex parte egregie falluntur, qui vitae praesentis scopum perfectam omnibusque numeris absolutam felicitatem esse contendunt. Iisdem enim difficultatibus impediuntur, quibus permotus quondam *Baelius* multa minus decora in mundo deprehendere sibi videbatur, quum Deum solummodo tanquam patrem considerandum esse poneret.

§. XX.

§. XX.

Cum systemate moralitatis et cognitione per naturam quomodo conueniant diuinae reuelationis vaticinia.

Restat itaque, vt ad decorum Dei vindicandum expediatur, vaticinia, quibus Deus regni sui vicissitudines, donec ad gloriam perducatur, tecte praenotauit, suaui quodam nexu cum moralitatis systemate pariter, et consueta, qua per naturam veritas hominibus patet, via contineri, ideoque Deo decora esse. Perspicua admodum vaticinia, euentuque ita confirmata, vt ne hostium quidem impietate et violentia eludi irritaque reddi potuerint, quemadmodum, Ammiano Marcellino teste, temeraria Iuliani molimina euincunt, in libris sacris magna copia proponuntur. Ea vero basin quasi constituunt, quibus certus indubitatusque assensus de diuina vaticiniorum origine in animo legentis superstruatur. Sed varii dantur perspicuitatis gradus, vt studium in indagando veritatum diuinarum semper liberum sit, et rationi imperuia regiminis diuini decreta eorum diligentiae demum magis pateant, qui quasi intimioris apud Deum admissionis sunt, fidemque aliis probitatis documentis satis comprobarunt, conf. *Ps.* 25, 14. *Io.* 14, 21. Quo maior autem diligentia intensiusque studium adfertur, eo feliciora incrementa cognitio capit, eoque dignior operis diuini idea e scriptis propheticis animo repraesentatur, vbi rex vniuersi Christus constitutus est, cuius arbitrio ita omnia reguntur, vt, licet hostes impietatem impune auferre videantur, honorem tamen suum cum horrenda eorum internecione digne vindicaturus sit, benedictus in saecula. Haec vero non ita capi volo, ac si debito studio atque attentione, quicquid scriptum est, perfecte assequamur. Multae adhuc remanent difficultates, forsan euentu demum magis expediendae. Cernitur tamen hac in re cum via, qua in regno naturae ad veritatis cognitionem ducimur, ideoque etiam cum moralitatis systemate, elegans harmonia.

§. XXI.

Solutio obiectionis.

At animum sumunt dissentientes, diuinaque reuelatione prorsus indignum esse arbitrantur, quicquid minus aperte determinateque praedicitur. Deum enim veritatis esse amantissimum, asserunt, exinde autem sequi, vt, si qua rerum futurarum euenta hominibus reuelare decernit, perspicue ea, et ad omnium captum accommodate exponat. Nimis autem festinanter haec dicuntur. Ita enim ad summam Dei benignitatem prouocarem, atque exinde eodem iure concluderem, fieri non posse, vt quaedam naturae bona existant, quae in telluris gremio abscondita, et multo hominum labore et periculo inde eruenda sint. In eo autem erroris causa latet, quod, vbi vaticiniorum decorum oppugnare volunt aduersarii, non ad totum infinitarum Dei perfectionum complexum attendant, quod tamen in diiudicando decoro diuino fieri fas est. Tum vero ad sanctitatem Dei non minus, quam veracitatem eius et benignitatem agnoscendam deducerentur, qua fit, vt morali hominum obedientia delectetur. Ita autem omnis cessaret obiectio. Quare potius aduersariorum argumentationem inuerto, et apprime dignum Deo esse contendo, quod fata mundi atque ecclesiae suae in terra militantis ita reuelauit, vt iis incognita maneant, qui vaticinia haud aliter conscripta esse volunt, ac historicam aliquam narrationem, quam ob nouitatis studium fugitiuo oculo perlustrare, et tum seponere consueuerunt. Valet de iis, quae Christus e Iesaiae prophetia allegauit, *Matth*, 13, 14.

§. XXII.

Scopus vaticiniorum varius et Deo dignus est

Scopus Dei, quem per vaticinia, de quibus dicimus, intendit, multiplex, vſusque eorum varius eſt, et multis exinde modis mirificum Dei decorum adſeri poteſt. Ipſi librorum ſacrorum ſecuritati, eccleſiaeque tranquillitati proſpicitur, ſi vaticinia, quae de hoſtium fatis agunt, et in ipſorum manibus ſunt, minus perſpicue proponuntur. Licet enim, qui pio modeſtoque ſcrutandi ſtudio accedunt, tum probe norint, qua de re agatur; hoſtes tamen ea omnia ſecure contemnunt, et, quae praedicta ſunt, neſcii implent. Deinde vaticinia, de quibus ſermo nobis eſt, id habent vtilitatis, vt ſcripturam eſſe librum confirment, in quo quisque hominum habere debet, vnde ſtudium ſuum pietatemque exerceat. Offerunt porro meditationis obiectum, quo, dum cognitio quotidie altius exſurgere poteſt, omne ſcrutandi faſtidium abſtergitur. Vbi vero intelligentiae humanae quaedam imperuia manent, aeternitatis deſiderium acuunt, qua rerum cauſae mortalibus iam non inveſtigandae planius patebunt. Haec per ſe patent, Deoque decora eſſe facile intelliguntur. Vnicum tamen momentum adhuc paulo vberius illuſtrabo.

§. XXIII.

Diuinae prouidentiae eximia documenta ſunt vaticinia definito tempori adaptata.

IIII) *Intenſiſſimi amoris et gratioſae prouidentiae documenta ſunt vaticinia ſpecifica, eo modo a Deo propoſita, vt definito quodam tempore demum magis perſpicue intelligantur.* Bono quidam animo defendere ſolent, aut iam tempore plantatae in terris eccleſiae, quicquid a prophetis praedictum eſt, eſſe impletum, aut aliquando cum fine ſaeculi impletum iri. Quare ea ſcripturae ſacrae loca, quae huic ſententiae contrariantur, coacta quadam interpretatione cum eadem conciliare elaborant. Sed cauendum eſt, vt ne eiusmodi interpretamentis modus interpretandi introducatur, quo fit, vt nihil quidquam Deus reuelare queat, quod non in alium atque alium ſenſum diduci poſſit. Si ſcripturam ſequimur, aliter prorſus iudicandum eſt.

§. XXIIII.

Dantur vaticinia definitis temporibus ad finem mundi adaptata

Deus omnium ſuorum operum ab aeternitate ſibi conſcius eſt, Act. 15, 18. omnesque hominum actiones quum praeuideret, mundi viciſſitudines ita adaptauit, vt vtraeque inter ſe conuenirent. Intereſt autem Dei, vt regiminis diuini veſtigia hominibus pateant. Quare inde a prima mundi aetate quaedam reuelauit, quae ad excitandos animos facere poterant, vt ne viarum Dei otioſi eſſent ſpectatores. Varia ſigna temporis conſtituit, e quibus de praedictionum implemento, remotum illud, an propinquum ſit, iudicari poterat. Hanc Dei oeconomiam priori mundi aetate obtinuiſſe, facile conceditur. Sed ea non minus aetate mundi poſteriori obtinet, id quod ſublime illud per vniuerſa noui teſtamenti tempora et ad aeternitatem vſque porrectum viſum Ioanneum, quo *regia promulgatio Chriſti in gloria aduentantis* continetur, luculenter confirmat. Quanquam enim de reſoluendis numeris propheticis quisquam non cogitat: id tamen cuique perſpicuum eſt, durationem noui foederis per certa temporum interualla eſſe diſtinctam, iisque praedictam futurorum ſeriem eſſe adſtrictam. Ex quo conſequitur, dari

dari vaticinia ſpecifica, definitis temporum interuallis a Deo adaptata. Adhaec e Danielis prophetia, c. 12, 4. 10. intelligitur, in veteri quoque teſtamento adhuc eſſe reſidua vaticinia, quorum intelligentia ad eiusmodi intervalla pertinet.

§. XXV.

Multiplex eiusmodi vaticiniorum vſus.

Quare dignum eſt, vt ea in re ſummus Dei amor et gratioſa prouidentia, id eſt, ſingulare decorum Dei, agnoſcatur, quod eo magis conſpicuum eſt, quo magis aperte Deus ſubinde curam geſſit, et ſubſidia neceſſaria ſuppeditauit, vt quae determinato quodam tempore cognitu vtilia erant, eodem tempore etiam, quantum ſatis erat, intelligerentur. Faciunt autem inprimis partim ad alendam ſpem in piorum animis, fiduciamque excitandam, dum intelligi exinde poteſt, fata mundi haud fortuito, ſed ita moderante Dei prouidentia euenire, ideoque, quantumuis aduerſa ſaepe accidant, veterum tamen promiſſionum fidem neutiquam vacillare, quemadmodum ſaeculo decimo tertio a C. N. Waldenſes inter crudeliſſimas beſtiae ex mari adſcendentis perſecutiones ex Apocalypſi Ioannis ſolamen ceperunt, ſeque in eadem c. 13, 7. indigitari recte agnouerunt; partim ad prudentiam bene dirigendam multum conferunt. Ita haud obſcure iudices, quid hodie de conſiliis ſyncretiſtarum irenicis, aut de eorum feruore ſtatui debeat, qui ingraueſcenti iniquitatis myſterio vi reſiſti debere, arbitrantur, Apoc. 13, 10.

§. XXVI.

Daemonis adfectatum ſtudium in futurorum praedictione.

Ab analogia vaticiniorum ſcripturae prorſus abludunt *oracula gentilium*, aut alia diuinationum genera, quae inter eos obtinuerunt. Incaute admodum agunt, qui, quum diuinam vaticiniorum auctoritatem in ſcriptura ſacra magis tueri volunt, in *Antonii Dalei* * partes abeunt, et quicquid in omni hiſtoria de futurorum praedictionibus apud gentiles memoratur, aut ab hiſtoricis effictum, et ex incertis rumoribus relatum, aut a fraude ſacerdotum deriuandum eſſe contendunt. Eo autem rectius rem ſuam defendiſſe ſibi videntur, ſi qua commenta gentilium aut Chriſtianorum de oraculis, quae tamen cum iis haud neceſſario coniuncta ſunt, bene et accurate refutarunt.

§. XXVII.

Exiſtentia rei probatur

Sed non puto, indicia, quae ipſa ſcriptura ſacra de daemonum illuſionibus inter homines habet, a quoquam in dubium vocari poſſe, qui ſcripturae auctoritatem defendendam ſuſcipit. Quid enim eſt, quod de oraculo Accaronitico, 2 *Reg.* 1, 3.-16, legitur, vbi, dum Ahaſiae inſtitutum ex idolo quaerendi tanquam impium exprobratur, ipſa rei veritas ſimul conceditur. Ipſe *Daleus* non habet, quae huic loco opponat, niſi quod, rem in dubio relinquendam eſſe ob aliorum teſtimoniorum penuriam, adfirmet. At ſufficit ſane ſcripturae teſtimonium. Scriptorum autem externorum hac in re narrationem deſiderare, nefas eſt, quum res ſaltem ſex ſaeculorum interuallo ante Alexandri M. tempora accidit. Addi poſſunt incantatorum Iannis et Iambris exempla 2 *Tim.* 3, 8. coll. *Exod.* 7, 11. quorum nomina in profana hiſtoria ** adhuc nota ſunt. Tacemus alia *Gen.* 41.

Dan.

* Pertinent huc eiusdem *diſſertationes duae de oraculis ethnicorum*. *Fontenellius*, *Dalei* epitomator, bonam malae cauſae ſpeciem nitida dictione inducere tentauit.

** Loca allegat *Grotius de veritate rel. Chriſt. lib.* II. §. 6. Prodibat an. 1750. in

lucem

Dan. 2, 3. *Ezech.* 21, 23 - 28. 1 *Sam.* 28. *Act.* 16, 16. Neque vero statum quaestionis attingit, quod aliqui ad scripturae loca prouocant, in quibus gentilium superstitio fraus esse declaratur. Spem enim veri commodi in cultu idololatrico adipiscendi delusam tantummodo notari, manifestum est. Deinde vero contra omnem antiquae historiae fidem pugnant, qui sola sacerdotum calliditate oracula quaerentibus contigisse credunt, eorumque causae patrocinium inuiti forsan suscipiunt, qui omne verae historiae initium a saeculo decimo quinto post C. N. ponendum esse, callide suadent. Causa erroris in eo communissime posita est, quod doctrinam scripturae sacrae, de potestate daemonibus in praesenti mundi schemate concessa, dissentientes negligunt, aut pro figmento haberi malunt.

§. XXVIII.

Indecorum multiplex tum qua originem

Dummodo animus recte attendatur, tantum abest, vt adfectatum daemonum in imitandis Dei viis studium scripturae vaticinia suspecta reddat, vt decorum Dei in iis multo magis conspiciendum sistat. Oracula enim cum pestilentissimis erroribus de Dei et natura et prouidentia continebantur. Deorum, qui supremo Deo mitiores esse ponebantur, magnus numerus confingebatur. Deus ipse omniaque rerum humanarum euenta ineuitabili fati necessitati subiacere credebantur. Neque tolerabilior erat morum doctrina. Scelera enim non pauca, a quibus natura alias abhorret, ne interdicta quidem lege erant, sed impune fiebant. Exinde igitur palam est, quid de oraculorum origine iudicari oporteat. Sane, qui inter ipsos gentiles, modica attentione adhibita, conscientiae dictamen sequi voluisset, fraudulenta causae malignae, at potentioris, molimina in oraculorum responsis subesse, facile suspicari poterat.

§. XXVIIII.

tum qua modum quaerendi et edendi futura

Pudet adhaec allegare, quam turpiter atque indecore responsa, tum quaesita, tum edita fuerint. Saepe enim oracula merae curiositatis gratia consulebantur; experimenta cum iisdem subinde instituebantur, vt pateret, num certam futurorum, rerumque occultarum cognitionem haberent, quemadmodum exemplum omni exceptione maius est, quod de Lydiae rege, Croeso, apud Herodotum * memoratur, vbi de sacerdotum fraude vel cogitasse ridiculum foret. Tum vero variae circumstantiae in edendis oraculis occurrunt, quae cum omni morum honestate decorique sensu pugnant. Pertinet huc furor, gestus ritusque lasciui, carminum mussitatio, speluncarum tenebrae, obseruatio temporum, characteres mantici, alia. At nihil tale deprehendas in modo, quo Deus futura reuelauit. Equidem satis intelligo, fore aliquos, qui prophetis a Deo quaedam imperata esse arbitrentur, quae cum morum sanctitate minus conueniant. Trahi huc solent,

quae

lucem Episcopi cuiusdam in Hungaria MARTINI BIRONII *enchiridion contra Diotrephen*, vbi auctor contra haereticos, quos putat, feruore abreptus in praestigiatoribus Ianne et Iambre, qui et Mambres ab ecclesiae patribus dicitur, typum *Lutheri* et *Caluini* inuenisse sibi videbatur, quum eorum vterque sanctae romanae ecclesiae restiterit. Petiit rationem inuenti e litteris adserendo, Iannem esse *Ioannem Caluinum*; Mambrem *Martinum Lutherum*. At eo argumentandi modo BIRONII typum ex euangelistarum libris facile detegeres, si graui in re ita ludere dignum foret.

* Locum citat *Antonius Daleus* in diss. II. p. 378. seqq. edit. Amstelod. an. 1687.

quae de Iesaiae nuditate, *Ies.* 20, 2-4; matrimonio Hoseae, *Hos.* 3; et quibusdam aliis leguntur. At qui mandatum Dei recte perpendit, nec inscitia potestatis verborum ineptas interpretationes fingit, nihil in eo inesse animaduertit, quod virtutis decorum violet, ideoque indignum Deo existimari possit. Sapienter potius a Deo talia tanquam signa imperata fuerunt, quae in significanda Dei erga impios seueritate, aut pudefaciendis peccatoribus vtilitatem praestarent.

§. XXX.

Applicatio ad alias daemonum illusiones quae hodie obtinent.

Quae hactenus de gentilium oraculis et multiplici indecoro ibi animaduertendo dicta sunt, facile ad ea applicari possunt, quae hodie de illusionibus daemonum aliisque diuinationibus non raro memorantur, nec omni prorsus certitudine destitui possunt, quanquam lubentissime largimur, multas hominum fraudes et figmenta rerum praeternaturalium nomine venditari. Quale vero de iis, quae vere eueniunt, iudicium fieri debeat, haud difficulter intelligitur, licet earum rerum patroni eiusmodi euenta mirifice iactent, et de iis tanquam verae ecclesiae indubitatis criteriis indigne glorientur. * Num enim diuina virtute id euenire putari potest, quod ad conciliandam confirmandamque eorum auctoritatem cultumque facit, qui scripturae sacrae doctrinam deserere et peruertere, datam fidem fallere, libertatem et aequalia hominum iura tollere, imperare conscientiis, et de insigni ignorantia et stupiditate sibi gratulari haud erubuerunt. Quare si quid praeternaturale accidit, et rerum occultarum indicia fiunt, quae hominum calliditate fieri non praesumuntur; est sane, cur potentiam malignam in occulto operantem agnoscas. Vaticiniorum diuinorum vero auctoritas hac re non minuitur, sed confirmatur. Ita enim, quae praedicta sunt, manifesto implentur, 1 *Tim.* 4, 1. 2 *Thess.* 2, 9. 10.

§. XXXI.

Decorum Dei in permittenda daemonum potentia.

Incredibile quibusdam atque indignum videtur, talia a Deo permitti. Sed cur, in regno naturae varia relicta esse, quae nocere possunt homini, non iidem conqueruntur? Tenendum autem est, Deum morali hominum obedientia delectari, vt supra expositum est, ideoque daemoni permitti, vt varia animi tentamina homini proponat. Qui Deum virtutemque eligunt, his rebus non capiuntur. Qui decipi se patiuntur, ipsi erroris culpam ferunt, et animum produnt, qui Deo placere non poterat, etiamsi hominibus, qui intima penetralia non perspiciunt, probus videbatur, et eiusmodi rebus non tam mali demum fiunt, quam malos se esse, documento produnt, hinc in malo proficiunt, et ad hoc vel illud mali genus determinantur. Multa autem adhaec in regimine mundi, fatisque gentium, in quibus singulorum indiuiduorum Deus itidem curam habet, animumque eorum nouit, imperuia nobis manere, mirum non est, quum cuiusque animum et vniuersum regiminis diuini ambitum, mundique adspectabilis cum inuisibili nexum haud peruidemus.

§. XXXII.

Corollaria. Causae contemtus vaticiniorum excusationem non habent.

Lubet adhuc corollaria quaedam ex iis, quae hactenus explanata sunt, ducta subiicere. Intelligitur *primo*, causas haud excusari posse, e quibus contemtus vaticiniorum

* Conf. VIRI SVM. REV. D. CHRIST. AVG. CRVSII *commentatio reformationis euangelicae memorialis, qua circulus in pontificiorum doctrina de ecclesia demonstratur* p. 12. seq.

niorum minus perſpicuorum atque inde
illae varii generis eſſe, e quibus paucas e
cognitionis plenitudinem cum eiusdem
gnitionem deſiderant, antequam aſſentia
incompleta contenti ſint, et aſſenſum prael
dam certo ſciri de re, de qua praeter haec
hermeneuticis, de eccleſiae ſeptem peri
temporalium promiſſionibus quaerendo,
offenduntur, et refutatis eiusmodi opi
enunciatis ſciri poſſe putant. Quidam a
animi negligentiam, aut intempeſtiuum
dium, aut timiditatem denique, ſcriptu

§. X

Indignum aperta vaticinia per minus perſpicua ſuſpecta reddere.

Deinde patet, indignum eſſe, vaticinia
reddere. Qui in monumento lapideo* mul
ſeponenda et incertae ſignificationis eſſe p
linearum quarundam ſenſum non accurate de

§. X

Moderate iudicandum eſt de ſtudio in vaticinia minus aperta collato.

Quare *tandem* vnicum notari velim. F
rum ſtudium rident, et laborem ſuperuacane
inſumitur. Facile conceditur, non omniu
loco verſari. Sed hoc nihil ad rem. Fall
homini ſcrutanda eſſe negant, quum eaden
perſpicue patefecerit. Attendi enim deb
myſteriis deceat, et quid hominibus conue
ditio eſt, opus Domini attenta conſidera
Ipſa ſcriptura nos ad tuenda vaticinia mer
ad probandam Scripturae diuinitatem non
legenda inuitat. *Apoc.* 1, 3. 22, 7. D
tanta interpretum varietate et ſumma diſcr
omne ideo ſtudium relinquendum eſt. San
ſcriptura ſtatim e manibus eſſet ſeponenda.
que euidens, quin ſubinde interpretum pe
dio miſere detortus ſit? Media potius le

Caute in vaticiniorum ſcrutinio verſandum.

quirenda ſunt. Ipſe animus pie confor
praeſcribat, ſed diſcat, nihil definiat, quo
ponat, cognitionis modulum modeſte aug
Ad hæc ſubſidia hermeneutica, quae tum
grammatica aliaeque diſciplinae inſtrumen
interpretando verbo prophetico conſuetis,
dem vero in explicandis quibusdam vaticini
ta a Deo ſunt, adſit. Tum enim ſingular
lux, ita dirigente Dei prouidentia, iis ad

* Confer omnino ſuper hac re PLVR.
in limine *Gnomonis in XII. prophetas m*
an. 1753. promiſſa, merito exoptatur.

atque indeterminatorum in ſcriptura oritur. Solent
s paucas exempli loco tantum nominabo. Quidam
eiusdem veritate confundunt, et completam rei co-
am aſſentiantur, licet in vita communi cognitione rei
nſum praebeant, facileque animaduertant, poſſe quae-
aeter haec permulta ignorantur. Alii praeiudiciis
ptem periodis, de ſenſu ſpirituali vbique in rerum
uaerendo, aliisque, quae quibusdam mirifice placent,
smodi opinionibus nihil omnino in vaticiniis tecte
Quidam autem via breuiſſima vti malunt, atque ob
mpeſtiuum placendi ſaeculique genio inſeruiendi ſtu-
e, ſcripturae vaticinia ſeponunt.

§. XXXIII.

, vaticinia clara et perſpicua per minus clara ſuſpecta
lapideo multa ſatis euidenter agnoſcit, num ideo omnia
tionis eſſe putabit, ſi quendam litterarum ductum, aut
accurate determinare poteſt? Sed haec iam expedita ſunt.

§. XXXIIII.

ri velim. Parum moderate iudicant, qui modeſtum alio-
ſuperuacaneum eſſe arbitrantur, qui in ſcrutandis vaticiniis
non omnium hominum eſſe, eadem applicatione hoc
rem. Falluntur tamen, qui regiminis diuini arcana
quum eadem Deus ipſe non niſi indeterminate et minus
di enim debebat, quid Deum in manifeſtandis regni ſui
inibus conueniat, quorum quisque, prouti eiusdem con-
ta conſideratione intueri, obligatione diuina tenetur.
ticinia mere docentia, i. e. inſtruendis piis deſtinata, etſi
itatem non aeque ac clariora apta ſunt, atque ad eadem
. 22, 7. Dabo etiam hoc, eſſe omnino, cur quis in
ſumma diſcrepantia timidus fere fieri poſſit. Sed non
m eſt. Sane ſi haec concludendi ratio valeret, omnis
t ſeponenda. Quis enim eius locus adeo planus eſt at-
rpretum peruerſitate aut nouaturiendi gloriaeque ſtu-
ia potius legitimae interpretationis ſincero ſtudio con-
pie conformandus eſt, vt veritatis patiens ſit, nihil
efiniat, quod indefinite praedicitur, ſed indefinite pro-
modeſte augere ſtudeat, non intemperanter efflagitet.
, quae tum logica tum ipſa ſcripturae conformatio, tum
e inſtrumentales ſuppeditant, ſepoſitis praeiudiciis in
o conſuetis, ſtudioſe in ſubſidium vocanda ſunt. Tan-
dam vaticiniis opus eſt, vt tempus, cuius vſui adapta-
nim ſingulari animi cum voluptate videas, quam grata
entia, iis adfundatur.

re PLVR. REV. PHIL. DAV. BVRKII *additamentum*
. prophetas minores, cuius continuatio in alios V.T. libros,
o exoptatur.